



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti**

**Stengel, Carl**

**[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV**

VI. Maii. S. Ioannes Damascenus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38356**

**S** IOANNES DAMASCENVS natione, nobilibus parentibus ortus, do-  
ctissimus ipse quidem, & Romanam fidem ab incunabulis ab Italo homine  
Cosmā nomine, probè institutus, pro imaginum cultu egregiè pugnauit. Hic  
post parentis obitum à principe Sarraceno cum in aulam euocatus, & primarii  
Consiliarii dignitate, quamvis recusans, ornatus, cùm audiret, quæ Leo Im-  
perator tyrannicè & impiè aduersus imagines, & imaginum veneratores patra-  
ret, Zelo pietatis incensus plures epistolas euulgauit, quibus eruditissimè ima-  
ginum cultum comprobauit. At impius Imperator his exacerbatus, animum  
conuertit, vt eum perderet, confictis literis proditionis, eius ementito chara-  
ctere, ad principem Sarracenorum missis, à quo IOANNES manu truncari man-  
datur, in foro quæ suspendi, quam ipsam precibus impetratam dexteram inter-  
cessione B. M A R I Æ Virginis obtinuit, brachio restitui. Quod cùm Sarrace-  
norum Princeps cognouisset, rei admiratione commotus, eum, vt innocen-  
tem muneri suo Consiliarii reddi curat; at ille altiora meditans, gratis actis,  
facultatibusq; in cognatos, seruos, & egentes distributis, Ierosolymam ora-  
tionis causâ profectus, ad diuini Sabæ lauram se contulit, ibiq; cum Cosmā  
fodali monachum induit, & in religiosis exercitiis, ac virutibus, præsertim  
obedientiâ ac humilitate mirificè claruit. De ipsis autem eruditione, quid  
longam orationem comparare attinet, cùm & quantus Philosophus fuerit, &  
quantâ Theologiæ laude excelluerit, & quâm studiose in Auctorum, qui ante  
ipsum floruerunt, lectione versatus sit, abundè ipsis scripta testentur? Illud  
quidem negari non potest, eum primum extitisse, qui ea, quæ prius fusè ac li-  
berè disputari solebant, in vnum corpus coegerit, remq; Theologicam via &  
xatione, longeq; commodiori ordine tradiderit. Hoc enim ipse apud Gra-  
cos primus præstítit, quod multò pòst apud Latinos Petrus Lom-  
bardus, cæteriq; Scholastici. Floruit circa A.D. DCCXL.

*Ex Surio & Baronio.*

S. IOAN-

IIAM. IV



S. IOANNES DAMASCENVS E.D. ORDIN: S.BEN.  
VIRGINIS auxilium IOANNES sedulus oytans  
Ab eisam recipit VIRGINE dante manum.

I 2

XVIII. MAII